

reliqui citati n. 73. atqui slylus Curie pro Lege servatur. & habenda est, uti cum communi bene observatur Gonzalez in Reg. 8. Cancellar. Glossa 6. n. 210. citans plures Decisiones Rotæ, Felinus in c. Ex parte. n. 16 de Rescript. arg. c. Ex literis, de Constit. &c. Quam gravi de Crimine falsi.

78 Limitatur autem Conclusio in Regibus, Imperatoribus, Principibus, eorumque uxoribus, ac liberis, & comitatu eorum, modo, quo supra n. 42. diximus de ingressu in Monasteria Monialium.

79 Queritur, An Religiosi (idem est de Monialibus) peccent, & penas incurrant, si cum illicitè ingressis confabulantur, vel eos comitantur, vel hinc inde in Monasterio deducant? Resp. Quamvis non desint Doctores affirmativam tenentes, inter quos est Roderiquez in expositione Bullæ ii V. n. 9. Sorbus in Compend. Privileg. v. Ingressi Monasteria num. 4 v. Aliud advertendum. Hyacinth. Donatus Tom. 4 v. 9. & alii Nihilominus sententia negativa probabiliter videtur, dummodo vi Officii expellere non teneantur, & non sint causa per comitatum, & confabulationem quòd ingredients diutius in Monasterio commorentur, & aliunde non concitrat circumstantia mala v. g. scandalum. Sanchez lib. 6. cap. 16. nu. 95. Pelliz Tom. 2. vr. 10. cap. 5. sect. 4. n. 97. Portel. in Dub. Regul. v. Clausura. n. 3. & alii. Ratio est; quia Bullæ Pontificæ præcisè loquuntur de ingredientibus, & eos ingredi permittentibus, aut introductentibus, uti legenti patet; tales autem non sunt positi in Conclusionè, si conditiones annotatæ absint, ut consideranti patet; ergo ad eos non sunt extendendæ, præsertim cum sint odiose c. Odiæ. de R. J. in 6.

80 Reliqua de Clausura vide apud Roderiquez, Mirandam, Portel. Sanchez, Hyacinth. Donatum, Pelliz & alios de hac materia copiosè scribentes. Nobis properandum est ad alias materias Canonicas.

TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subiectæ.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis.
- 2 Domus, vel locus Religiosus quid?
- 3 Requiritur ad eum autoritas Episcopi.
- 4 Subest Jurisdictioni Episcopi.
- 5 Quos effectus pariat hæc subiectio Episcopo?
- 6 Potest talia loca visitare. Ibid.
- 7 Et ab Administratoribus eorum petere variationem administrationis.
- 8 Loca pia autoritate Episcopi non erecta, Episcopi Jurisdictioni non subijunt.
- 9 Potest tamen ab eorum administratoribus rationem exigere.
- 10 Quomodo Episcopus mutare possit pias causas?
- 11 Monasterium secularizari ab Episcopo non potest.
- 12 De edificandis Monasteriis. Remissivè.

Postquam in præcedentibus de statu Regularium sufficienter actum est, recto ordine pergit Compilator Juris Canonici de Religiosis seu Regularium Domibus: de quibus partim in præsentis Titulo, agendo generatim de Religiosis Domibus; partim in sequenti de Capellis Monachorum; partim in Titulo de edificandis Ecclesiis erit sermo.

2 Queritur I. Quid ad præsens sit Domus Religiosa; & quid requiratur ad eam? Resp. I. Quamvis generaliter & latè loquendo nomine Domus Religiosa

veniat omnis locus pius autoritate Episcopi erectus, five consecratus sit, five non: propriè tamen ad strictè ad propositum loquendo Domus Religiosa est locus pius non consecratus, autoritate tamen Episcopi erectus. Ita in re communis. Sic latè loquendo, nomine Domus Religiosa veniunt etiam Ecclesie, Tempia, & Capellæ consecratæ: strictè verò sola Monasteria; Xenodochia pro peregrinis pauperibus; Nosocomia pro infirmis; Orphanotrophia pro educandis pueris & puellis; Hospitia Gerontocomia pro senibus & debilibus, seu valetudinariis erecta. Item Confraternitates, Congregationes, & alia quæcumque loca ad charitatis, misericordie, & Religionis opera, aliumve pium usum destinata, dummodo autoritate Episcopi sint erecta, arg. c. Ad hæc. 4. & c. fin. h. t. & can. In qualiter. 23. cau. 23. q. 8. juncti l. Sancimus. C. de SS. Ecclesiis. Huc ad Domum nempe Religiosam strictè talem spectant etiam Ecclesie, Oratoria, & Capellæ nondum consecratæ; autoritate tamen Episcopi erectæ. Hinc licet latè loquendo omnis locus sacer, seu consecratus, sit etiam Domus & locus Religiosus: non tamen econtrà quis locus vel Domus Religiosa est etiam locus sacer: imò, ut dictum, strictè loquendo Domus Religiosa non est locus sacer, seu consecratus.

Resp. II. Ad hoc, ut locus aliquis pius sit Religiosus, Domusque Religiosa vocari queat, gaudeatque privilegiis & effectibus illius, necessariè requiritur, ut autoritate Episcopi sit erectus. Sylvester v. de Locis Religiosis. nu. 3. cum communi, & certa aliorum, arg. cit. c. Ad hæc. 4. h. t. ibi: Si autoritate Episcopi destinatus. Ratio est; quia ut ait Glossa in cit. c. 4. h. t. v. Autoritate Pontificis, privatus locus Religiosus, vel sacrum facere non potest, arg. l. In tantum. ff. de Sepulchro violato. & l. 3. §. Si quis in sepulchro. ff. de Sepulchro violato. Ex quo communiter inferunt Doctores, quòd licet etiam absque licentia Episcopi possint aliqua loca & instituta pia, v. g. Nosocomia, Hospitalia, Orphanotrophia, & alia similia pia instituta, imò Oratoria privata in domibus institui, erigi, vel fundari ad hoc, ut ibidem orationes private, atque pietatis, & charitatis opera (non tamen Missæ absque licentia Episcopi celebrentur, can. Unicus. & can. Clericos. de Consecrat. dist. 1.) privatim peragantur, tamen hujusmodi quantumvis pia loca, ac instituta Domus Religiosæ nec sunt, nec dici possunt, & propterea immunitate Ecclesiasticâ non gaudeant, idque ideo, quòd sine autoritate Episcopi fierint erecta, Sylvester lo. cit. Felinus in c. de Quarta. nu. 4. & 11. de Prescript. Tufchus v. Hospitale. concl. 157. & seqq. Fagnanus in c. Ad hæc. 4. h. t. n. 2. & ibi Glossa.

Queritur II. Cui subiectæ sint Domus Religiosæ, seu loca Religiosa? Resp. Loquendo de Jure communi Domus, loca, & instituta Religiosa quæcumque tam sacra, quam non sacra, consequenter omnes Ecclesie, Capellæ, Monasteria, Congregationes, & alia similia pia instituta & loca, autoritate Episcopi erecta, subijunt Jurisdictioni Episcopi, intra cujus Diocesim existunt: ita ut in omnibus fundatam in Jure intentionem habeat, & contrarium præterdendens exemptionis privilegium, probare debeat. Abbas in c. De Xenodochiis. 3. h. t. num. 1. & ibi Fagnanus num. 1. & 2. Hostiensis num. 6. Joann. Andreas n. 4. Pirhing h. t. §. 1. cum communi aliorum, arg. cit. c. De Xenodochiis. 3. h. t. ubi Summarium sic habet: Episcopo subijunt omnia loca pia, & c. 6. 7. & 8. cod. can. Omnes Basilicæ. 10. cau. 16. q. 7. c. Cum Episcopus. de Offic. Ordinari. in 6. Dicitur autem notanter de Jure communi; quia sunt nonnulla loca Religiosa per speciale Privilegium à Jurisdictione

Episcopi

Episcopi exempta: & quidem hodie præcipuè plurimum Ordinum Monasteria. De quibus vide specialia Privilegia.

Queritur III. Quid Juris pariat Episcopo hæc subiectio locorum Religiosorum? Resp. Præter Jurisdictionem Fori contentiosæ, & executionem Jurium Episcopatum (de quibus jam partim supra Lib. 1. Tit. de Offic. Judicis ordinari. & Lib. 2. Tit. de Foro competentis: partim infra Tit. de Censib. Exalt. & Procur. duo principaliter competunt Episcopo, videlicet I. Jus visitandi loca Religiosa. II. Quòd Administratores locorum Religiosorum tereantur singulis annis reddere rationem administrationis suæ: prout sublatis omnibus privilegiis, & consuetudinibus contrariis etiam immemorialibus, clarè statuit Concilium Tridentinum, & quidem de primo, Sess. 22. de Reform. cap. 8. illis verbis: Episcopi etiam tanquam Sedes Apostolicæ Legati, in casibus à Jure concessis omnium pium dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos sint Executores; habeant jus visitandi hospitalia, Collegia quæque, ac confraternitates Laicorum, etiam quas Scholas, five quocunque alio nomine vocant, non tamen que sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia. elemosynas, Montis pietatis, five charitatis, & pia loca omnia quomodocunque nuncupentur, etiam si prædictorum locorum cura ad Laicos pertineat, atque eadem loca, exemptionis privilegio sint munita; ac omnia, que ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandis instituta sunt, nisi ex Officio suo juxta SS. Canonum statuta cognoscant. & exequantur, non obstantibus quæcumque consuetudine etiam immemoriali, privilegio, aut statuto.

De secundo verò, seu de reddenda Episcopo ratione, ead. Sess. cap. 9. ibi: Administratores tam Ecclesiastici, quam Laici fabricæ cujusvis Ecclesiæ etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis, Elemosynæ, Montis pietatis, & quorumcumque locorum singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinariæ, consuetudinibus & privilegiis, quibusvis in contrarium sublatis: nisi secus sine in institutione & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expressè cautum est. Quod si ex consuetudine aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda est, tum cum his adhibeatur etiam Ordinarius: & alter f. de liberatione dictis Administratoribus minime suffragatur.

Verùm præter limitationes in textibus postas, locis piis Militarium Ordinum, & aliorum Religiosorum, uti bene notavit Fagnanus in cit. c. Ad hæc 4. h. t. nu. 47. patetque tum ex Jure communi Clem. Quia contingit. §. Præmissa. h. t. tum ex Concilio Tridentino lo. cit. utpote quòd ibidem solidè de Secularibus, non de Regularibus loquitur, prout declaravit S. Congregatio apud eundem Fagnanum lo. cit. n. 48.

Queritur IV. Quid Juris competat Episcopo in loca pia autoritate Episcopi non erecta, consequenter non Religiosa? Resp. I. Hæc loca pia non sunt subiecta Episcopo, consequenter hic jurisdictionem in ea non habet Fagnanus in cit. c. Ad hæc 4. h. t. n. 51. & ibi Hostiensis, Innocentius, Joann. Andreas, Abbas, cum communi. Probatur à sensu contrario; cum enim per Jura citata solummodo illa loca pia sint subiecta Episcopo, quæ sunt Religiosa, id est, autoritate Episcopi erecta, à sensu contrario bene inferre licet; ergo illa, quæ non sunt Religiosa, Episcopo subiecta non erunt. Hinc similia loca pia, v. g. Hospitalia, Confraternitates, aut alia pia instituta autoritate Episcopi non erecta, nequit Episcopus visitare, nisi in casibus à Jure ex-

pressis; prout declaravit S. Congregatio apud Fagnanum lo. cit. nu. 54. possuntque à Fundatore, quamdiu vivit, pro libitu mutari, & ad alias etiam profanas causas applicari, Abbas in cit. c. Ad hæc. 4. h. t. nu. 4. & ibi Fagnanus nu. 53. ubi pro hoc citat Declarationem Cardinalium, arg. c. Cum dilectus. 8. h. t. Quæ tamen mutandi potestas non competit hæreditus, eò quòd pia defuncti voluntas ab hæredibus non possit mutari, juxta dicta in Titulo de Testamti.

Resp. II. Quamvis præfata loca pia non subijunt Jurisdictioni Episcopi, nihilominus potest hic post mortem Fundatoris inquirere, videre, & visitare, an juxta piam Fundatorum intentionem & voluntatem deputata bona debet applicari, & administrantur, Fagnanus lo. cit. n. 55. & 56. Abbas in c. 3. h. t. n. 3. cum communi. Ratio est; quòd in omnibus piis voluntatibus sit per locorum Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem cuncta procedant, ut dicitur c. Tua nobis & 17. de Testamti. & declaravit sæpè S. Congregatio apud dicitum Fagnanum lo. cit. n. 56. Potest insuper ab Administratore quocvis cujusvis loci pii, etiam non Religiosi singulis annis exigere rationem administrationis Concilii Tridentini Sess. 22. de Ref. cap. 9. per textum supra n. 6. citatum, qui universaliter omnino intelligi debet, adeò, ut licet Episcopus non nisi in casibus à Jure concessis possit visitare loca pia non Religiosa; possit tamen universaliter ab horum locorum Administratores, exigere rationem administrationis, & videre, num cuncta bene administrantur, & juxta piam Fundatoris intentionem applicentur; prout S. declaravit Congregat. apud Fagnanum, lo. cit. n. 57.

Queritur V. Utrum Episcopus vi Jurisdictionis suæ possit Religiosa aut saltem pia loca, fundationes, & instituta ad certum pium usum erecta, vel deputata, in alium usum pium transferre? Resp. Ordinariè loquendo, Negativè, per Jura & rationes allegatas Tit. 26. de Testam. à nu. 804. ubi etiam limitationes quædam inveniuntur. Quibus etiam adde limitationem, quam ponit Concilium Tridentinum Sess. 25. de Reform. cap. 8. illis verbis: Quòd si hospitalia (vel alia loca pia) ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliorum personarum genus suscipiendum fuerint instituta; nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes persone, aut per pauca reperiantur, mandata adhuc, ut fructus illorum, in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior est, ac pro loco, & tempore utilior, convertantur; prout Ordinatio cum duobus de Captivis, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum diligendis, magis expedire visum fuerit: nisi alter forte etiam in hunc eventum in eorum fundatione, aut institutione fuerit expressum: quo casu, quod ordinum fuerit, observari cures Episcopus, aut si id non possit Episcopus, prout supra, utiliter provideat.

Porrò circa Monasteria illud specialiter statuerunt Jura, si aliquando ex quacunque causa deficiant, aut discedere debeant Religiosi, aut minus Regularis disciplina ibi vigeat, Episcopus nec redditis Monasterii, suæ mentis incorporare, nec Monasterium secularizare, seu in illo Clericos seculares ponere, aut in alias pias causas convertere potest, sed debet Monasterium hujusmodi aliis Religiosis ejusdem Ordinis vel inhabitandum, vel reformandum tradi: vel in horum defectu Religiosis alterius Religionis committi: utriusque autem deficientibus Clerici seculares ibidem collocari possunt, qui quoad fieri potest, fundationi priori satisfacere satagent. Fagnanus in c. Inter quatuor. §. h. t. & ibi Joann. Andreas Abbas, Hostiensis Engel h. t. in fine. & alii, per textum & Glossam cit. c. Inter

quatuor



quatuor, s. h. t. c. Possessiones, de Rebus Eccles. non alienand. cum Concordantiis.

Plura de potestate Episcopi circa loca Religiosa & pia vide apud Fagnanum in c. 3. & 4. h. t. item apud Barbosa allegat. 75. per totum.

12 Solet hic etiam agi de erectione seu dedicatione Monasteriorum. Verum quia hanc materiam jam supra promissimus ad Titulum de Ecclesijs edificandis, hic superfedemus.

TITULUS XXXVII.

De Capellis Monachorum, & aliorum Religiosorum.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio ordinis. Capelle Monachorum quid? Ibid.
- 2 Incorporatio duplex: una quoad temporalia: alia pleno Jure.
- 3 In Beneficiis quoad temporalia tantum incorporatis, Abbas presentat, & Episcopus instituit.
- 4 In pleno Jure autem incorporatis Abbas utrumque habet.
- 5 In Parochia quoad temporalia tantum incorporata, debet constitui Vicarius perpetuus.
- 6 Et quidem secularis. Et num. seq.
- 7 Beneficia secularia secularibus, & Regularia Regularibus sunt conferenda. Ibid.
- 8 In Ecclesijs pleno Jure incorporatis Monasterio, solus Superior deputat Vicarium pro libitu amovibilem.
- 9 Regularis de Jure solus non potest esse in Parochia.
- 10 Jurisdicchio Episcopi in Regulares existentes in Parochia.
- 11 Congrua portio debet assignari Vicario perpetuo.
- 12 Et quidem per Episcopum.
- 13 In congrua portione juxta aliquos non possunt computari incerta, seu fructus solae. Et numer. seq.
- 14 Eligitur, & probatur sententia contraria usque ad finem.
- 15 Obventionum nomine quid veniat? Ibid.
- 16 Omnis dictio in lege debet aliquid operari.
- 17 Incorporationis causa que?
- 18 Solvantur argumenta contraria, & ponitur doctrina practica usque ad finem.
- 19 Portionis congrua quantitas que?

Postquam in superioribus actum est de Regularibus, & Domibus eorum, ordine non incongruo pergitur ad Capellas eorundem. Et quamvis Capellae nomine in Jure varia veniant, v. g. subinde Altare, aliquando Oratorium, non nunquam sacra aedicula a Templo juncta, vel Templo annexa, vel inexistens, ut bene advertit Azorius p. 2. lib. 3. c. p. 8. q. 2. Aliquando denique quævis Ecclesia etiam Parochialis per se, & seorsim existens, dammodo non sit Collegiata, ut ex Gouzal. refert Barbosa in Rubr. h. t. Tamen ad propositum per Capellam potissimum intelligitur Ecclesia Curata, presertim Parochialis, unita & incorporata Monasterio, vel Ecclesie Regulari. Circa quam multa examinanda non veniunt, eo quod potissima jam dicta sint Titulo de Præbend. Titulo de Offic. Vicarii. Titulo Ut Beneficia Eccles. sine diminut. conferant. Hinc breviter

Quæritur I. Cui competat jus præficiendi Rectorem in Ecclesijs Monasterio incorporatis? & qualis præfici debeat? Ante responsum notandum, Beneficia Curata dupliciter posse uniri, seu incorporari Monasterio, videlicet, vel quoad temporalia tantum, vel pleno Jure. Primo modo censentur unita, quando Decime, alique redditus temporales assignati sunt alicui Monasterio, jure instituendi penes Episcopum, jure præsentandi penes Abbatem, vel alium Superiorem Regularem remanente; de quo modo habetur mentio can. San. 6. cau. 16. q. 2. quod si pars tantum Decimarum Monasterio competat abique instituendi, vel etiam præsentandi; tunc potius dimembratio Beneficii, quam unio, seu incorporatio censetur, ut post Garciam de Benefic. p. 12. cap. 2. n. 4. bene observat Engel h. t. n. 10.

Secundo modo, seu pleno Jure censetur Beneficium unitum, vel incorporatum, quando præter jus percipiendi redditus temporales, etiam administratio spiritualium, seu Cura animarum in Monasterium est translata H. N.

Resp. I. In Parochia, vel alio Beneficio quoad temporalia tantum unito, seu incorporato Monasterijs, Abbas, vel alius Superior Monasterij solummodo præsentare, non item instituere potest Beneficiatum, Parochum v. g. Barbosa de Offic. & Potest. Episc. alleg. 72. n. 188. Engel lo. cit. n. 10. arg. c. de Monachis, 12. c. In Lateranensi 31. de Præbend. ibi: In Ecclesijs, que ad eos pleno Jure non pertinent, instituendo Presbyteros Episcopus presentat; ut eis de plebis cura respondeant. Ipsi vero (Religiosi) pro rebus temporalibus rationem exhibent competentem. Institutos autem, inconsultis Episcopis, non audeant removere. Idem reperit c. In Ecclesijs. 1. h. t. Concordat. can. San. 6. cau. 16. q. 2.

Resp. II. In Ecclesijs pleno Jure Monasterio incorporatis Rectorem, seu Beneficiatum solus Monasterij Superior præficere, ac instituere potest. Barbosa lo. cit. n. 188. Chokier. de Jurisdic. in exempt. p. 4. q. 40. Engel lo. cit. Pirhing h. t. n. 2. & alii, arg. can. Visis. 1. cau. 16. q. 2. Clem. un. §. Quidam. præterea, & §. Quidam etiam. de Excess. Prælat. & c. Quoniam. 21. de Privileg. Nec obstat c. 1. h. t. ubi in similibus Beneficijs Episcopus Capellanum, & quidem seculares instituit. Respondetur enim id correctum esse Jure recentiori citato, prout prætermisissis aliorum ad dictum c. 1. responsonibus bene respondet Pirhing h. t. n. 2. Cui accedit recepta praxis & consuetudo, que est optima Legum interpret. l. 37. ff. de Legib.

Resp. III. In Parochia Monasterio quoad temporalia tantum incorporata, ubi solum jus præsentandi, & non instituendi Superiori Regulari competit, debet constitui Rector, vel Vicarius perpetuus. Barbosa de Offic. & Potest. Episc. alleg. 72. n. 189. arg. cit. c. In Lateranensi. 21. de Præbend. & c. In Ecclesijs. 1. h. t. junctoc. un. h. t. in 6. lib. Cum debeant esse perpetuis consuetudine, vel statuto quovis non obstante, ab eisdem nequeunt Ecclesijs (nisi per Episcopos, & ex rationabili causa) amoveri. Ratio est; quia quævis Ecclesia Parochialis debet habere unum Rectorem perpetuum, juxta dicta Tit. de Paroch. n. 7. ex Concilio Tridentino Sess. 24. de Reform. cap. 13. qui cum quoad Curam non sit Abbas Monasterij in Beneficio plene non incorporato, alius esse debet.

Num autem ad tale Beneficium pleno Jure non incorporatum (sid est. ubi Religiosi præcisè Jus patronatus abique redditibus habent, prout in pluribus habent teste experientiâ, & observat Glossa) Clericus secularis presentari debeat, vel etiam Religiosus presentari possit? gradus est controversia

versia apud Doctores, quæ ex eo dependit, an Regulares ad Beneficium seculares promovendi valeant? Ratio controvertendi, & negativam tenendi sumitur ex illa recepta Regula, quod Beneficia Regularia Regularibus, secularia vero secularibus sint conferenda. c. Cum de Beneficio. 1. de Præbend. in 6. & Clem. 1. de supplend. neglig. Prælat. Engel nihilominus h. t. n. 8. Less. lib. 2. cap. 14. dub. 12. nu. 99. & alii putant, etiam in tali, & universali in quovis casu Regulares ad Beneficium Curatum (non item simplex) presentari & assumi posse, imò presentatos institui debere, quod multis probare conantur. Quibus non obstantibus,

7 Resp. IV. In præfato casu & universali ad quævis Beneficia secularia etiam Curata, Parochia, nempe, soli seculares presentari, assumi possunt, & debent, ita, ut nec Episcopus dispensare possit, excepto casu necessitatis, ubi seculares Clerici commode haberi nequeunt. Garcias de Benefic. p. 7. cap. 10. n. 20. Felinus in c. In nostris. de Rescriptis. Rebuffus de Pacific. possess. Covarruvias in c. 2. de Testam. n. 1. & alii. Fundamentum præcipuum est, quod ita scriptis fuerit declaratum a S. Congregatione, referente se ad Concordata in Concilio Lateranensi cum Leone. Uti videre est apud Garciam lo. cit. alias probationes non adducimus, quia materia hæc ad Titul. de Præbend. spectat, ubi etiam n. 26. docuimus, quod Beneficia Secularia Secularibus & Regularia Regularibus sint conferenda.

8 Resp. V. In Ecclesijs Curatis incorporatis pleno Jure Monasterio pertinent provisio Rectoris ad solum Superiorem Monasterij, potestque is Vicarium etiam temporalem, & ad nutum amovibilem sive Regularem, sive seculares consilii uere. Barbosa de Offic. & Potest. Episc. alleg. 72. n. 189. Engel b. t. n. 1. arg. Clem. 1. & ibi Glossa v. Ad mensuram. de Excess. Prælat. ibi: Licet Administratores ejusmodi libere possint ad claustrum (cum oportuerit) revocari Ratio communitè assignatur illa, quia in hujusmodi Beneficijs non fit propria institutio, sed potius provisio aliqua administratoria; cum Titulus semper penes Monasterium remaneat, & propterea nunquam proprie vacare censentur. Accedit recepta consuetudo & praxis, quæ videmus, quod Superiores Regulares in Parochijs Monasterio pleno Jure incorporatis, Vicarios & Rectores pro libitu constituunt, & amoveant. Notandum tamen, quod quamvis pro libitu, & abique præfatu Episcopi amovere valeant prius deputatum, tamen aliquem in hujusmodi Beneficio constituere nequeant, nisi prius ab Episcopo fuerit approbatus, textu expresso Concilii Tridentini Sess. 25. de Reform. cap. 11. ibi: Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputent, nisi de Eiusdem (Episcopi) consensu, ac prævio examine per eum, aut ejus Vicarium faciendo.

9 Resp. VI. Loquendo de Jure communi, si in Beneficijs Monasterio unitis constituitur Vicarius, persona Regularis, non potest ibi solus esse, sed debet cum sociis commorari: textus expressus habetur c. 2. de Statu Monach. ibi: Nec singuli per parochiales Ecclesijs ponantur, sed cum aliquibus fratribus maneat. Ratio ibidem subiungitur, ne soli inter seculares homines, spiritualium horum consilium expectent, Salomone dicente: Vix soli, quia cum cæcitas non est, qui sublevet eum. Concordat c. Ex parte. 3. h. t. Et quidem juxta Constitutionem Pii V. quæ incipit. Ad exequendum, debent esse saltem quatuor Religiosi in Parochia. Verum unum sufficere locutum, viva voce declaravit Gregorius XIII. ut ex Gaarrant. in Summa Bullar. v. Vicarius perp. ubi refert Pirhing h. t. n. 11. imò consuetudine introduci potest, ut unus solus sit in Parochia, arg. c. si se consuetudo. prout actum in aliquibus locis introductum videmus.

Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

Quæritur II. An, & qualem jurisdictionem habeat Episcopus in Regulares exiitentes in Parochijs Monasterio incorporatis? Resp. Regulares hujusmodi etiam ad nutum amovibiles in præfatis Parochijs constituti, Curam animarum exercentes, sicut in immediate in us, que ad dictam Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictionem, visitationem, & correctionem Episcopi, in cuius Diocesi sunt sita, ita in terminis Concilium Tridentinum S. Sess. 25. de Regular. cap. 11. Pariter subint in us, que dependent à Cura, & Sacramentorum administratione; unde, an libri Baptismales, Matrimoniales, Mortuorum &c. bene sint ordinati, an Sanctissima debite conservetur, an calices, vel alia vasa, & Ecclesie ornamenta pro decenti administratione Sacramentorum adiant &c. visitare, inquirere, atque in casu erroris corrigere & punire potest Episcopus reum Regularem; Barbosa in dict. Concil. Trident. nu. 15. & amplius alleg. 74. nu. 18. & 20. ubi plures alios citat. Id ipsum novissime statuit Gregorius XIII. in sua Constitutione, quæ incipit. Inscrutabili. In reliquis tamen defectibus & delictis exempti Regularis ita expositi visitatio & correctio non ad Episcopum, sed Superiorem Regularem pertinet Barbosa in Concil. Trident. lo. cit. n. 21. Riccius in Resol. 513. n. 2. & Resol. 612. Tenentur insuper tales Regulares ad solvendum Episcopo Cathedralium presentando infra Tit. de censibus.

Quæritur III. Quid Juris de congrua portione assignanda Vicariis Ecclesiarum Monasterio (vel etiam Collegio, Capitulo, Universitati &c.) incorporatarum? à quo nempe, qualis quantitas, & de quibus redditibus constitui, & assignari debeat? Resp. I. Certum est, quod de redditibus, fructibus, emolumentis, & proventibus Ecclesie incorporate debeat Vicario perpetuo assignari congrua portio, & quidem tanta, ut ad honestam sustentationem Vicarii, consideratâ circumstantia personæ ejusdem, Ecclesie redditibus, ac loci consuetudine taxandam, simulque ad hospitalitatem erga pauperes, & juraque Episcopalia solvenda sufficiat, prout etiam diximus. Lib. 1. Tit. 28. §. 2. nu. 37. Ita clarè patet ex Concilio Tridentino Sess. 6. de Reform. cap. 2. item Sess. 7. cap. 5. & 7. & c. de Monachis, 12. de Præbend. ubi Pontifex ita mandat Archiepiscopo Vigoricensi: ad presentationem Monachorum nullum recipientis, nisi tantum ei de proventibus Ecclesie coram te fuerit assignatum, unde jurâ Episcopalia possit solvere, & congruam sustentationem habere. Concordat c. Extirpanda. 30. eod. & c. 1. eod. in 6. ubi etiam contraria reprobat consuetudo.

Resp. II. Certum est ulterius, quod ad iudicium & arbitrium solius Episcopi pertineat quænam quantitas reddituum, & proventuum Ecclesie pro congrua sustentatione Vicarii sufficiat. Omnes, citatis Juribus, nam cit. c. 12. de Præbend. expressè habetur, nisi per te (Episcopum) fuerit assignatum, & Concil. Trident. cit. Sess. 7. de Reform. cap. 7. arbitrio Ordinariorum portione assignanda. Contra quam non datur appellatio suspensiva (bene tamen devolutiva) uti bene advertit Pignatell. Tom. 1. consulti. 127. quia cum hic agatur de alimentis, & venter non patitur dilationem, appellatio suspensiva locum non habet, Bart. in l. Mala. n. 5. ff. de Aliment. & lib. Leg.

His tanquam certis suppositis grandis est controversia, de quibus assignari debeat portio congrua, an nempe de solis redditibus & fructibus certis fieri debeat, an verò etiam de emolumentis & proventibus incertis assignari queat, ita ut etiam fructus solæ (ut vocant) v. g. emolumenta, & obventiones, que ex administratione Baptismi, Viatici, Extreme Unctionis, Benedictione nuptiarum, Purificationis, &c. percipiuntur, ad sustentationem Vicarii sufficiant. K k k Puri-



Purificatione mulierum, funeralibus &c. percipiuntur, in congrua sustentationem computari valeant? Et quidem partem negativam cum communione aliorum tenet Barbosa lib. 3. Juris Eccles. univ. cap. 6. num. 44. citans Franc. Leo in Theatro Fori Eccles. p. 1. cap. 31. sub n. 6. Van Espen in Jur. Eccles. univ. qu. 2. Titul. 34. de Portione congrua, cap. 6. que in portionem congruam imputanda, ubi late discutit, & novissime Pignatelli Tom. 3. Consult. 71. Pirhing de Præbend. sect. 1. n. 44 & alii. Tum quia Vicario debetur congrua portio certa, seu certo sufficiens per Jura citata: ergo incerta in eam computari nequeunt. Tum quia de Jure c. 12. de Præb. debetur portio de proventibus Ecclesiæ, atqui stola non sunt proventus Ecclesiæ, sed fructus Officii & laboris ipsius Vicarii.

14 Confirmant hanc suam doctrinam ex ingentibus, quæ contraria secum trahit sententia, absurdus, præsertim, quod Vicarii hujusmodi quasi necessitate adigantur ad turpiter exigendas, quærendas, directè vel indirectè sollicitandas oblationes, ac mercedem in casu administrationis Sacramentorum, & aliorum munerum pastoralium; cum aliis necessariâ sustentatione carerent. Ex quo non raro nota avaritiz, injustitiæ, aut etiam Simoniz inuritur Vicario, copiosè confurgunt plebis murmuraciones, irreverentia, & vilipensio Sacrorum, dum ea quasi vendi, vel emi vident, neglectus vel tardior usus Sacramentorum, præsertim Viatici, & Extremæ Unctionis, ex timore, quod Pastori merces, quæ sæpe non nisi difficulter haberi potest, dari debeat; prout amplius disernerit Van Espen lo. cit. ubi etiam plures Synodos adducit, in quibus statutum habetur, ut certa congrua portio in tantum assignetur, ne in administrandis Sacramentis quidpiam exigendo, oneri sint Parochianis, sunt verba Patrum in Concilio Coloniensi 1536. Accedit, quod in hujusmodi Parochiis, ubi incerti fructus stola in congruam portionem computantur, debite qualificati, & litterati Pastores haberi nequeant, utpote qui fugiunt Ecclesiam, ubi non nisi continuâ sollicitudine, & turpi quasi quæstu, & exactioibus suam sustentationem habere queunt; id quod etiam notatur c. Extrinsecus 30. de Præb. c. 1. eod. in 6. Quibus non obstantibus,

15 Resp. II. Si non probabilior, sanè æquè probabilis est sententia affirmativa, videlicet, quod non tantum certi, sed etiam incerti fructus stola v. g. aliaque incerta emolumenta & obventiones, quas ratione Officii, & Beneficii Vicarius perpetuus communiter, præsertim in consuetudine debitas percipere solet, computari possint in congruam portionem. Gonzalez ad Reg. Cancellar. in Proem. § 7. n. 185. Gutierrez Consil. 8. à n. 3. Valenz. Consil. 54. n. 18. Rota apud Paul. de Rub. Decis. 230. n. 2. divers. alijs p. 6. Recent. & plures alii. Fundamentum principale desumitur ex Constitutione Pii V. Ad exequendam, quæ est 47. in Bullario Cherub. ubi §. 2. expressè statuitur, quod portio congrua summa computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & alijs obventionibus communiter percipi solitis (sunt verba Bullæ) per Episcopos assignari debeat; quæ verba Conclusionem nostram in praxi planè securam, tutamque Canonicorum, ac Religiosorum, aut aliorum, quibus Parochiæ incorporatæ sunt, conscientiam reddunt; præsertim quia verbum obventiones est verbum omnino generale comprehendens magnos & parvos, certos ac incertos redditus, & emolumenta etiam illa, quæ ex facto hominis proveniunt, ut oblationes, funeralia, ac similia, prout ex Boerio Decis. 224. nu. 5. & Gutierrez lo. cit. à nu. 197. & Glossa in L. 1. §. Executores V. Oblationes, & ibi Albericus n. 16. de Exercit. action. item Glossa in c.

Ad audientiam. 3. de Eccles. edific. v. Obventiones, & ibi Abbas n. 15. ubi dicitur verbum obventiones est verbum multum generale comprehendens omnes redditus, cuiuscunque qualitatis sint.

Confirmatur. Prædicta verba Bullæ Pii V. computatis etiam incertis emolumentis, & alijs obventionibus, debent aliquod operari, arg. l. Si quando. 109. ff. de Legat. 1. & c. Si Papa 10. de Privileg. in 6. præsertim quia sunt in Constitutione Papali, in qua nulla dictio debet vacare, alioquin frustra membranam occupat, ut habet Glossa in c. Solita. 6. v. Tanquam de Majorit. & obedient. arg. can. 1. dist. 19. & can. Sic enim. 9. cau. 23. q. 1. atqui nihil operantur, si fructus incerti stola v. g. non possent computari in portionem congruam; ergo.

Ratio autem Conclusionis est; quia idè Beneficia etiam Curata fuere unita & incorporata Collegiis, Capitulis, Monasteriis, aliisque pijs locis, ut honoribus & competentibus stare possint, adeoque inde emolumentum recipiendo, onera incumbencia facilis supportent, atque officia, & opera debita peragant, prout notavit Pius V. in citata constitutione Ad exequendam. ubi §. 2. sic ait: Nos considerantes, uniones idè à Prædecessoribus nostris factas esse, ut ex redditibus, & emolumentis Beneficiorum uniorum Ecclesijs, Monasteriis, Collegiis, Beneficiis & locis pijs, quibus illa ununtur, facilis onera eisdem incumbencia, supportent, & promptius à Ministris Ecclesiasticis in eisdem Divina officia celebrentur, hospitalitas servetur, aliaque caritatis opera exercentur &c. sed planè si non nisi fructus certi in congruam portionem computari possent, sæpe parum vel nihil emolumentum ex Beneficiis unitis haberent Collegia, Capitula, Monasteria &c. ergo.

Nec dicas, Bullam Pii V. à nobis citatam, revocatum atque reductum esse ad terminos Juris communis & Concilii Tridentini à Gregorio XIII. In tanta, quæ est 9. apud Cherub. ut ex Barbosa nos ipsi jam meminimus Lib. 1. Tit. 28. §. 2. n. 38. ergo cadit principale fundamentum Conclusionis nostræ. Resp. enim I. Bullam revocatoriam à Gregorio XIII. editam, tantum concernere Parochias unitas Monasteriis, ut legenti aperte patet: consequenter nihil operari in Parochiis unitis Collegio, Capitulo, aliive cause piæ, uti bene observavit Gonzalez ad Reg. Cancellar. 8. Glossa 5. §. 2. n. 79. cum correctio Jurium sit odiosa, ac pro possibili restringenda per vulgaria, præsertim I. Præcipimus. §. fin. C. de Appellat. & c. Constitutio. 41. de Election. in 6. Resp. II. Quod etiam quoad Regulares denuò revalidârit dictam Constitutionem Pii V. Gregorius XIII. prout refert Gonzalez lo. cit.

Dicitur autem notanter in Conclusionem nu. 15. positâ, obventiones incertas, quas communiter, præsertim consuetudine debitas percipere solet; ad excludendas illas obventiones, quæ omnino ex liberalitate populi dependent, nec communiter, nec ut debite, sed raro ab uno vel altero dari solent; hæc enim juxta Communissimam in congruam portionem computari nequeunt, hoc ipso, quod rarissime sint ac incertissime; bene verò illæ, quæ communiter, ut dicit Bulla, percipi solent, præsertim ut debite consuetudine; enim verò hodie plerique fructus stola v. laudabilis consuetudinis introducitur, debite sunt, ita ut à Parocho etiam peti, & ad eos dandos populus ab Episcopo compelli possit, prout in simili de oblationibus diximus supra Tit. de Decimis. num. 184. Et ex hoc Van Espen alias summus Conclusiois nostræ Adversarius concedit, quod funeralia, ac similia in congruam portionem imputari queant; quod idem in plerisque locis hodie de illis concederet obventionibus, quæ Parochus ex Benedictione nuptiarum, collatione Baptismi, purificatione

ratificatione mulierum, oblationibus in certis Festivitatibus &c. Vicarii oblacionibus, eò quod & has dandi consuetudo passim obliget populum, adeo ut eas à non dantibus Vicariis diseretè petere, & recusantes ad dandum compellere possit Episcopus arg. c. Ad Apostolicam. 42. de Simon.

20 Ex his patet ad fundamenta Adversariorum. Nam ad primum positum num. 13. negatur suppositum, quod ex incertis obventionibus certa haberi non possit congrua portio, vel saltem pars illius; quamvis enim tales obventiones incertæ sint respectu certi ac determinati temporis, aut quantitatis, tamen ad aliquam saltem certitudinem computatis tribus aut quatuor retrò annis reduci ita possunt, ut Vicarius de honesta sua sustentatione moraliter certus esse queat, id quod in pluribus Synodis approbatum reperitur, teste ipso Van Espen lo. cit. n. 12. alijs nobis Adversarij ubi tamen notandum, quod in reducendis his incertis ad aliquam certitudinem non debeat summa, sed media, vel infima quantitas, quæ tribus aut quatuor retrò annis obvenire solita est, computari, hoc ipso, quod quandam adhuc incertitudinem relinquunt, & alijs nimia temporali curâ & anxietate cruciaretur Vicarius; prout communiter advertunt etiam Conclusionis nostræ Patroni.

21 Ad secundum fundamentum n. 13. positum, respondetur per proventus Ecclesiæ intelligi etiam illos, qui intuitu Ecclesiæ seu Beneficii acquiruntur, alijs enim nec ipsæ Decimæ, utpote quæ non ad Ecclesiam sed Parochum spectant, computandæ forent. Ad tertium fundamentum n. 14. positum dicitur, non esse timenda absurda ibi enarrata, si fit computatio congrua portiois exiis, de quibus diximus; eò quod ea plerique vel laudabilis consuetudinis præbeatant, quæ alegatis malis viam omnem præcludit; præsertim si Vicarius in exigendo discretus est, & si in administrandis Viatico & Extremæ Unctionis ex exactioe abstinent, non nisi liberè oblata recipiat; ipsèque Rmus Ordinarius in computanda congrua portione, prout oportet, ad hanc reflexionem faciat.

22 Resp. III. Quamvis olim penes solum prudens arbitrium Episcopi fuerit, determinare quantitatem congruæ portiois, tamen hodie aliter declaratum & statutum, atque potestas hujus arbitrii limitata est per Bullam Pii V. Ad exequendam: ubi §. 2. ex mente Concilii (ut ait) Episcopis expressè præcipit Pontifex in assignatione portiois Vicariis perpetuis ita se cominere & arbitrari, ut non major centum, nec minor quinquaginta sutorum annuorum summa computatis omnibus etiam incertis (sunt mæra formalia Bullæ) emolumentis, & alijs obventionibus communiter percipi solitis, eis omnino assignetur. ut proin arbitrium Episcopi non nisi inter centum & quinquaginta scuta, consideratis considerandis circumstantiis locum habeat, præcipue quia Bulla hæc saltem quoad Parochias Monasteriis non incorporatas revocata non est, juxta dicta num. 18.

23 Observandum nihilominus, & attendendum omnino videtur, quod tempore, quo edita fuit hæc Bulla, videlicet 1567. omnia saltem in suis partibus fuerint in longè viliori pretio, adeo, ut his temporibus respectu præcedentis illius temporis necessaria vitæ vix duplici pretio acquirantur, coniequerent ubi tempore illo quinquaginta, vel centum scuta pro honesta sustentatione sufficiebant, hodie centum, vel ducenta necessaria sint, adeoque etiam temporis ratio merito habenda sit, juxta illud vulgare: Concordia tempora, & concordabis Jura.

Illud etiam cum communi advertendum, quod quantitas à Pio V. assignata, fuerit taxata pro Responsuel Jus Can. Tom. III.

sola persona Vicarii, non item pro Capellano, aut Cooperatore, si unum vel plures multitudine Parochianorum, aut laborum exigit, quibus proin specialiter providere tenentur ii, qui ratione incorporationis aut unionis redditus Parochiæ percipiunt Plura de Vicariis vide Lib. 1. Tit. 28. de Officio Vicarii.

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus.

1 Ratio ordinis.

Quandoquidem multa huc usque dicta sint de Præbendis, Beneficiis, Capellis Monachorum, quæ per sepe etiam Juspatronatus sunt, & ad præviam præsentationem conferuntur, recto ordine Titulus prævens præcedentibus subiungitur, qui est unus inter celebriores in Jure Canonico, scitu non minus necessarius, quam utilis Ecclesiasticis.

§. I.

De Natura Juspatronatus: item de causis & modis, quibus acquiritur, & quis Patronus efficitur.

SUMMARIUM.

- 2 Patroni, & Juspatronatus nomen variè accipitur.
- 3 Juspatronatus ad propositum definitur.
- 4 Acquiritur donatione, vel edificatione, vel fundatione. Et n. seq.
- 5 Et particula subinde sumitur pro vel, & econtra.
- 6 Fundare Ecclesiam quis dicitur?
- 7 Edificare quis dicitur?
- 8 Redificans, quando acquirat Juspatronatus?
- 9 Donatio quid, & quando per eam acquiratur Juspatronatus?
- 10 Si plures concurrunt ad fundandam, vel edificandam &c. omnes sunt Patroni.
- 11 Juspatronatus quomodo probetur?
- 12 Acquiritur etiam Privilegio.
- 13 Atque Præscriptione. Et n. 15. 16.
- 14 Ad probandam Præscriptionem in Potentibus requiritur major probatio.

Notandum prius, nomen patroni, sicut & Juspatronatus variè, præsertim verò tripliciter sumi in Jure. Primum quidem Patronus in jure dicitur ille, qui manumittit, seu liberam dimittit servum suum: & jus, quod in manumissum habet, Juspatronatus vocatur, de quo integer extat Titulus ff. de Jurepatronatus. & C. de Bonis liberorum. de Jurepatronatus. Secundò accipitur Patronus pro eo, qui causam aliquis in judicio assumat, tustur, eique patrocinatur, & jus Advocatiæ, Juspatronatus nominatur, de quo fit mentio can. un. cau. 15. q. 2. & c. 6. de Transact. ac l. Rem. 14. C. de Judicis. Verùm de Patronis, & Jurepatronatus in his acceptationibus hic non erit sermo: unde in tertia acceptatione ad præsens.

Quæritur I. Quid sit Juspatronatus ad propositum? Resp. Est jus seu potestas præsentandi Clericum ad Beneficium Ecclesiasticum vacans. Ita in re communis. Dicitur jus seu potestas loco generis. Dicitur præsentandi, quia Patronus non confert Beneficium, nec instituit Clericum, sed simpliciter præsentat aliquem Episcopo, qui dein, si præsentatum